no. 2

Oratio deliberatiua qua

probatur coniuratos Galliæ à conuentu trium ordinum esse remouendos: quam habuit dominus d'Aubigny Cal. Sept. in collegio Harcuriano præceptore Hamello procuratore Normaniæ.



PARISIIS,
Ex Typographia Dionysij à Prato, via Amygdalina, ad Veritatis insigne.
1577.

AD NOBILISSIMVM Regij ærarij tribunum Charissimum patrem suum Annas Nouincius.

Sunt tibi sollicitæ regis certissima curæ
Munera, quæ Neustri porrigit alba manus.
Te magis arcta premit Musæ custodia castæ
In doctóque mihi das Helicone locum.
Regia dona tibi: si vatum regia, mitto,
Quam mitto gazam pectore, mente cape.

Ad suos amicos.

Dædaleo cursu commisi lintea ventis,
Dicite, percutiat sed minus aura ratem.



ORATIO DELIBERATIVA,

qua probatur coniuratos Galliæ à conuentu trium ordinum esse remouendos: quam habuit dominus d'Aubigny Cal. Sept. in collegio Harcuriano præceptore Hamello procuratore Normaniæ.



QVod à deo Opt. Max. omnibúsque cœlicolis supplex deprecatus sum (humanissimi auditores) me hodierno die in vestra omnium præsentia id assecutum facillimo negotio arbitror. Nam cum omni spatio anteactæ vitæ omnem meam curam cogitationémque eò conferre voluerim, vt tandem aliquando siquid vlla in re cómoditatis maturo consilio & explorata ratione dicendi (quæ plus tenuitatis quàm fœlicitatis habet) reip. Christianæ afferre pos-

ſem, experirer: eſt cur profectò me dicentē de re tempori accommodatiſſima vobis (vt ſpero) non moleſta debeat oblectare ſumma ad dicendum oblata cómoditas. Ingrediendum nobis eſt duce Chriſto & auſpice Chriſto in auguſtiſſimum ac religioſiſſimū veræ religionis templū: perluſtranda mētis oculo diuinæ ciuitatis ornamenta: quæ & quāta ſit hominū inter ipſos altiſſimis defixa radicibus ſocietas, quibus ritibus Chriſtianorum reſp. adminiſtrari debeat; cuius cauſa tot viri rerum geſtarum magnitudine ornatiſſimi, quorum memoriam excipiant omnes anni ſubſequenteis, mortē oppetere atque ad interitum ruere volūtarium non dubitarunt: imo potius vita quā proborum hominum coniunctione carere maluerunt, cogitandum eſt. Quis enim homini Chriſtiano de re Chriſtiana turpe exiſtimet dicere? Quis adoleſcentē nobilibus & religioſis parētibus ortum, religioſe educatum in ſchola Chriſtiana optimis moribus inſtructum, religionem tueri mirabitur? Mirari (credo) deſinet, cùm illi in mentem venerit lumen totius Græciæ Demoſthenem toties de capite contendiſſe,

toties ſua eloquentia Philippum Macedoniæ regem, perniciem reip. molientē fuiſſe perſecutum, Ciceronem Romanorum decus bonis lateribus Antonium patriæ facem expugnaſſe, Catilinam nouis rebus ſtudentem maxima corporis mentíſque contẽtione expuliſſe. Quare nemo id vitio dabit, quod eruditiſſimis hominibus planéq; ſapientibus laudi datum fuiſſe pulcherrima litterarum monumenta teſtantur. Præclarum fuit tum Romę, tum Athenis homines melioris notæ ſeſe in diſcrimē vitæ ſemper intuliſſe, maximè verò vbi de religione decertarent, quam pro aris & focis defendendam exiſtimabant. pariſiis verò impium erit ſcilicet, cauſam religionis agere eámque mordicus defendere. Liceat, liceat Chriſtiano, quod licuit pagano. Adeſte igitur animis (viri Chriſtianiſsimi) qui iã corporibus adeſtis, cauſam veſtram cõtra gregem perditorum virorum æquiſsimis auribus intelligite: Nam infenſiſſimos hoſtes noſtræ reipub. à celeberrimo cõuentu triũ ordinum reiiciendos perorabimus: modò per veſtram humanitatem fœlicibus auſpiciis liceat incipere. Ante viginti annos Gal-

licana resp. auorum, abauorum, tritauorũque nostrorũ memoria longè Christianissima, pacatissima per Clodoueos, Pipinos & Valesios, qui adhuc reipublicæ nostræ clauum tenent, acerrimos Christiani nominis defensores vsque ad hanc omnium malorum Iliadem, cultu diuini nominis, Imperij gloria, & vbertate agrorum, cæteris antecelluit: vltimis tandem temporibus primũ Luterana lues, quæ vniuersam Germaniam deturbarat, in Gallia miserrimo fato latius serpere cœpit, atq; primo ingressu Aquitaniã labefactauit, totúmq; Imperiũ Galliæ potentissimum in eandem calamitatem pertraxisset, nisi Frãciscus huius nominis primus titulo Christianissimi Regis insignitus pestiferos illorum conatus armis & cõsilio fregisset. Deinde Caluinistarum error secutus est, qui populum sua natura pacatum violentissimis tempestatibus concitauit, vt mare sua natura tranquillum ventorum vi commoueri videmus. Inde faces, furiæ, tragœdiæ, vrbium oppressiones, incendia, interneciones ciuium, direptiones agrorum, expillationes templorum, sicæ, venena, falsa testamenta & omnium malorum

genera in caput Gallorum redundarunt: hinc duorum potentiſsimorũ Regum Frã-ciſci ſecundi & Caroli noni luctuoſus interitus: quorum ille breuiſſimum vitæ ſpatiũ, immenſum gloriæ aſſecutus eſt, vt non modo hæreſim ſed etiam hæreſeos ſuſpicionẽ funditus deleret: hic verò, vt erat natura facilis, ad pœnam tardùs, ad præmia velox, potius cohortationibus quàm armis flagitioſos ciues ad politiorem vitam pertrahere conatus eſt. Poëſiacã & Aurelianam cõſultationem celebrãdam curauit: ſed cùm ſuos conatus irritos eſſe animaduerteret, optimorũ medicorum cõſuetudinem ſecutus, qui quæ ſanari non poſſunt membra, amputant, nunquam ſatis laudata Dionyſiaca cæde ſuos hoſtes profligauit, tum fatalis parca tantæ victoriæ æmula illuſtriſſimũ Principẽ (proh ſumme Iuppiter) cum ſummo reip. diſpendio eripuit. Actum erat de regno Galliæ, niſi Hẽricus huius nominis tertius nuperrimè Rex Poloniæ ſalutatus relicta Polonia ad nos cõmigraſset, cuius fortunato aduentu retardatos hoſtium impetus, quis non videt? Vt igitur ignem ſopitũ penitus extingueret, Bloſiacum cõ-

uentum celebrari iussit, cui interesse impurissimos Gallos prohibuit ne coniurationes consequerentur. Illi enim cõsilium patriæ salutare non habent, remp. non erigunt, sed euertunt: non iuuant ciues, sed opprimunt: denique turpissimè viuunt. Non igitur in deliberationibus publicis de statu Ecclesiæ, quàm impiè spoliant: de statu hominum priuatorũ, quorum agros depopulantur: non de conditione clarorum virorum, quorum leges perrumpũt, decernere debent, vt rationum momentis probabimus, dum modò attentè audiatis. Ecce celebratur, conciliũ Blosiacũ, cui debent interesse tantum quorum sapientiæ rerum sacrarum administratio cõmissa est. at improbi sunt sapientes scilicet, qui diripiunt Gallos & Galliæ prouincias? hæretici, qui diuina & humana iura violant? hæretici, Qui publica itinera impediunt? hæretici qui certissima Regis nostri vectigalia dilapidant? hæretici, qui denique magna & grauia bella gerunt? hæretici. Sunt ergo fideles. An non putas eos benè præsidere frequentiæ trium ordinum, qui minantur patriæ incendium? Nusquã gentium. Vt

enim si vnũquodq; membrũ ad se proximi membri valetudinem atraheret, totum corpus frangi necesse esset: ita si qui consilio præest, religioni aduersetur, statim hominum communio pereat necesse est. Atqui poterũt fortasse resipiscere? *Preclare inquit ille, Syncerum nisi vas quodcunque infundis acescit.* Quare vt Medici membrum amputant, si sanguine & spiritu carere cœperit, ne cæteris partibus noceat: sic ista belluarum feritas in figura humana à societate, ne cæteros cõtagione in laqueos erroris inducat, segreganda est. Quoties ego in hos viros nouarũ opinionum fluctibus obrutos inspicio, toties mihi venit in mẽtẽ aurea poëte sentẽtia. *Ense rescindendum, ne pars sincera trahatur.* Quid? licebit ne cum illis de rebus ad statum diuinum pertinẽtibus consilium capere, quibus ne aue quidam dicere oportet? cùm ipsis statuere quo pacto benè præsint sacerdotes, que ne familiæ quidem suæ præesse norunt? O præclarum triumphum! ô fœlicem Petri nauim, si semel sentinam perditorum Christianorum exhauriamus! Nónne Cham Nohemi filius hæresiarcharum parens, cùm iniuriam patri intulisset, domo

paterna expulſus fuit? nónne diuini verbi præcones ſi quando ſermones familiariter conferrent, omnes paganos & Ethnicos procul expulerunt? nónne Polycarpus cũ Cherinto balnea ingredi recuſauit? tantum abeſt vt cum eo de rebus diuinis deliberare vellet. Sacrarum litterarum monumentis conſignatum habemus in conſilio Nyceno trecentos Epiſcopos ſententiam dixiſſe, in Romano nonaginta: in aliis longè plures cùm nullus infideli pateret aditus. vtinam, vtinam, reuiuiſcerent veteris diſciplinæ Patres, Ambroſius, Cyprianus, & innumerabiles alij veræ religionis aſſertores qui cane peius & angue peſtilentes opiniones improborum fugiẽdas ſcriptis prodiderunt. Non diffido equidem ſi loqui poſſent, ſi oculis Galliam intueri ita nutantem vt vix reipublicæ formam retineat: quin Neſtoreo aut Vlyſſeo flumine eloquentiæ impudentiſsima mendacia iſtorũ malorum inſectarentur. Sed quid opus eſt pluribus exemplis? Magna erga me humanitas veſtra (Auditores) admonet vela contrahere, ne longior quàm par ſit oratio vobis faceſſere negotium videatur.

Quare diligẽter, quæſo, recognoſcite quot quãtæque clades, quot vrbium euerſiones, quot bella inteſtina immineant: quæ reuiuiſcere videbuntur niſi à caſtris bonorum belluam lerneam arceamus: qua extincta nulla erit tam longinqua natio, nulla tam ſurda poſteritas, nullæ tam ingratæ litteræ quæ ad ſempiternam ſeculorum memoriã huius Imperij fœlicitatem non prædicent. Excitẽtur ab inferis Athenienſes, qui Diagoram exilio damnarunt, floreant fabulæ quæ Pantheum à parentibus neglectu religionis diſcerptum, & Aiacem quòd fana deorum violaſſet, fulmine tactum, teſtantur. Nos ergo Græcis & Barbaris crudeliores qui verſamur, colloquimur, deliberamus, cum hæreticis, quos in conuentu triũ ordinum non eſſe audiendos, argumentorum pondere in hac celeberrima frequentia ſumus conſecuti.

DIXI

HEROICI VERSVS QVIbus quæſtionis iudicium continetur.

IVppiter excelſi ſolus moderator Olympi
Dolia plena duo fatis in limine portæ
Spargit, larga manus diuiſis partibus æquat
Cuncta viris, alios miſera formidine damnat.
Iámque alios ſubitò celſas attollit in auras.
Hinc tibi prima mali labes, hinc cura laboris
Præcipites animos conturbat tempore duro:
Hinc captæ turres, vrbis Mauortia bello
Mœnia lata cadunt, magna clamante caterua:
Hinc vaſtat multos bellorum cæde cruentus
Martis eques, campis magno turbante tumultu,
Et gemini portarunt arma in prælia fratres,
Compoſitam pacem violarunt crimina belli.
Non aliter ſæuo pugnarunt tempore belli,
Quàm Iuno, formoſa Venus, Tritonia quondam,
Cùm deus immiſit pulcherrima munera menſæ.
Nec ſatis eſt armis Gallorum perdere gentem:
Conuenit (ô crimen) fatali ſede tonantem
Deturbare Iouem, redeunt ad bella Gigantes.
Hos ego ſed quorum peior ſententia menti
Hæret adhuc, capio: Francos errore iacentes
Caluini fœdant, lolium ſic lilia vincit:

Sic ſerpit cancer, ſic altos hædera poſtes
Aſcendit, ſuperatque eductos culmine muros.
Ecce agitur toties quæ ſit fortuna ſuperbis
Expectanda viris, rectum, quid & vtile, quid non
Conſilio verſare iuuat, tunc enſibus adſunt
Diſtrictis, ſummo currunt clamore furentes
Hoſtiles animi: cæcos qui luce carerant,
Et balbi balbos, & claudos ire docerent
Claudi, terrificæ cedent ſed tempora noctis
Luci: ſed lunæ flammantia lumina cedent
Splendori ſolis, Zephyris & lætus Eois
Eurus equis cedet, tum cedent aſpera duris.
Furtiuas flammas & crimina fœda Promethei
Ipſe hominúmque deúmque parens compenſat acerbo
Supplicio, miſeros obſcurum mittit in orcum.
Te quoque tetra manent inflatis æquora ventis,
Te capiet rabies, & ſiccæ ſanguine fauces,
Gallica qui ſemper conâris euertere regna.
Solis equos traheret ſi quondam Phœbea pubes,
Igneſcunt nubes, ardentia ſydera cœli
Igne micant, ardet nitidiſsima machina mundi:
Eſse poteſt nunquam veri fiducia regni
Sic, vbi mortales ad vitam dogmate formar
Perfidus, excors, atrox, aſper & improbus ira,
Qui non cuſtodit ſanctiſsima dogmata Chriſti,
Qui poßet ſanctè monſtrare piacula vitæ,

Ac veluti vasto flantes in littore venti
Concutiunt naues celeres & turbine fluctus
Non regit ignarus spaciosa per æquora classem:
Sic quādo in populo morum fit concio vulgi
Non bene contendit, non ferrea pectora mulcet,
Quem vitæ sordes, quem maxima crimina damnāt.
Est igitur verum, quisquis secreta Sibyllæ
Seruat, consilio vitæ monimenta beatæ,
Recte sollicitos verbis componere mores.

Παιδδά κατάρα καταρῆς.

